

DYAS
 ECLOGARUM
 QVADRAGE-
 SIMALIUM

Quam

PRÆSIDE

M. DAVIDE CASPARI
 Ecclesias. Profess. & Inspect.

publicæ ventilationi subicit

GOTHARDUS BENZIEN

RIGENSIS.

IN GYMNASIO RIGENSI

Horis solitis

Ad diem XII. April. M DC LXXXVIII.

RIGÆ

Literis GEORGII MATTH. NÖLLERI.

01824

VIRIS

*Magnificis Nobilissimis Amplissimis Consultissimis
Prudentissimis*

DOMINO

BURGGRAVIO REGIO
DOMINIS CONSULIBUS

ET RELIQUIS

REGIÆ RIGENSIS REIPUBLICÆ

DOMINIS SENATORIBUS

DOMINIS PATRONIS MÆCENATI-
BUS AC PROMOTORIBUS
M E I S

Debito honoris cultu prosequendis

est. A

Tertu Rikilno Unkopi
Ragmatukogu
9129

Primitias studiorum meorum in cer-
tissimum debitæ subjectionis si-
gnum & perennem mei Commen-
dationem

D. D. D.

Gothardus Benziem



ECLOGA PRIOR
De,
JEJUNIO CHRISTI
QVADRAGESIMALI.

Ex
geli
mi
Iny

I.



Otabiliter Matthæus Cap. IV. v.2:

Ὁ Χριστὸς νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νυκτὰς τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπέειπεν. *Christus jejunans dies quadraginta et noctes quadraginta, tandem esurii.*

Ne quis enim existimare posset, tale hoc jejunium Christi fuisse, quale Judæorum, per diem jejunantium quidem, in vespera autem & nocte cibum sumentium, Jud. XX. v. 26. II. Sam. I. v. 12. disertè *noctes* appellat; observante Euthymio Zigabeno in h. l.

II.

Præter hoc Judæorum Jejunium, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. Illuminator. p. 23. aliis, æquivoci sc., meminit in abstinentia à quibusdam cibis consistentis: *νηστεύομεν*, scribit, *εἰναι καὶ κρεῶν ἀπέχεσθαι.* *Jejunamus à vino carnisq; ab-*

stinentes. Sed nec tale hîc intelligendum esse, ex Luca apparet, qui Christum quadraginta istis diebus quicquam comedisse, fortius negat: *Καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις*, inquit Cap. IV. v. 2. & nil omninò comedit in diebus illis. Et unde ciborum delectus in eremo, mera inter saxa & lapides?

III.

Quî verò Servator quadagesimale hoc Jejunium sustinuerit, quaritur? Hominem enim, ad vitam prorogandam, perpetuâ nutritione & alimenti assumptione indigere, quilibet ipse in sese satis experitur. Cujus quidem necessitatis hæc causa est, quod vita consistat in calore & humore, neutrum vero horum conservari possit sine nutritione. Non humor: quoniam assidue consumitur à calore; quemadmodum oleum in lampade & lignum in foco ab igne. Non calor: quia, absorptò humidò, evanescit. Deficientibus ergo calore & humore vitali, unio corporis & animæ dissolvitur, proindeque, ut humidum semper reparetur alimentarium, opus est.

IV.

Quid? quod Franciscus Vallesius de Sacra Philosophia Cap. XVIII. ex Hippocratis Libro de Carnib. doceat, hominem naturaliter non posse sine cibo ultra septem dies vivere: quanquam Plinius undecimum plerosque superasse, Lib. XI. Hist. Nat. Cap. LIV. prodat. Id quod à robore & constitutione interna pependisse, arbitrandum est. Nam & Lipsius Lib. III. Manud. ad Phil. Stoic. Dissert.

Dissert. XXII. de Azano, Bassa Turcico, qui suâ memoriâ Algerio in Ægypto præfuit: Is, inquit, *supra modum bene habitus & pinguis, de Medicorum sententia abstinere cepit, eoque paulatim produxit, ut septem totos dies in diem ferret sine noxa: imò macresceret, id est, revaleretur in multos deinde annos.*

V.

Cæterum, licet nutritionis ista sit, quam dixi, ad vitam sustentandam necessitas, allegantur tamen exempla de pluribus, qui tempus bene longum ab omni cibo & potu abstinuerunt. Parum est, quod Albertus Magnus Lib. VII. de Animal. Cap. III. Tract. III. refert: mulierem Coloniensem triginta dies sine omni cibo & potu manere solitam. Minus est, quod Idem, Virum Melancholicum septem hebdomadas sine cibo, haustâ tantum alternis diebus semel aquâ, superstitem fuisse, narrat. Solo enim aquæ potu victitantes nullâ ratione pro abstinentibus habendos esse, Celeber. Pechlinus Meditat. de aer. & alim. defectu Cap. XII. p. 167. seqq. ex Thaletis & Hippocratis principiis, quinimò experimentorum fide, ostendit. Cum enim substantia aquæ, debito modo, quæ sitâ fermentatione, resoluta, in varias numero & specie differentes partes discedat, in pinguedinem s. oleum, in terram, salem atque non nihil spiritus; hinc aquam, elementorum istorum respectu, in corporis nostri formam transire posse, concludit.

VI.

Id verò longè maximum est, mulieres quasdam reper-
tas esse per aliquot annos penitus *ascitas*; quarum sex re-

cenſet Thuanus Lib. CXXIII. Hiſtor. ſui Temp. Tom. III. Op. p. 884. ſeqq. adjectis celebriorum Medicorum de iisdem ſententiis. Plures adducunt Fortun. Licetus Lib. de his, qui diu vivunt ſine alimento. Schenkius Lib. III. Obſerv. cap. de Aſitis. Paulus Lentulus in Hiſtor. Apolloniæ Schreierix. Marcellus Donatus Lib. IV. de Med. Hiſt. Mirab. Cap. XII. Confer. Schott. Phyſ. Curioſ. Lib. III. cap. XIV. §. I. itemqve Dieteric. Anal. Evang. Dom. Invoc. Part. I. Obſerv. VIII. Artic. I.

VII.

Sed non omnes illæ Hiſtoriæ parem commerentur fidem: multæ à credulo & ſuperſtitioſo vulgo tanquam veræ propagatæ, quæ falſæ tamen fuerunt ac ſubleſtæ fidei. Quædam enim iſtarum mulierum ſimularunt longam ejuſmodi inediam, vel ut peculiarem ſanctitatis opinionem ſibi conciliarent; vel ut lucrum captarent ex muneribus non illiberaliter offerri ſolitis. Deniqve fraus detecta propudioſam fabulæ impoſuit cataſtrophem. Videatur Wierus Tract. de Jejuniiſ Commentitiis, Libro de Lamiis adjuncto, pag. 119. ſeqq. Ibi enim dolum prodiſt Puellæ Unnenſis, Barbaræ Kremerix, Anno 1573. ob annuam, ut putabatur, inediam famoſæ, & fictitia inde jejunia aliquot enarrat.

VIII.

Sunt, quas morbus ad diuturnum redegit jejunium. Cum enim frigidioribus & craſſioribus refertæ eſſent humoribus, plurimâqve abundarent pituitâ, hinc ſpasmus ſibi

sibi contraxere universalem, ut ventriculus omnino stupefactus cibi desiderium prorsus amiserit, imò etiam potùs, dum à frigido phlegmate semper humectaretur. Vixerunt tamen, quamvis sine alimento forinsecus assumpto, quia viscosi humoris lentæque ac dulcis abundantis pituitæ aliquantulum concoquens natura in locum perditæ substituit. Quod, utut modicum esset, propter imminuti caloris nativi in hujusmodi subjectis tenuitatem, præbendo tamen nutrimento, imprimis nullo gravi labore exercitatis, suffecit. Inde nec perpetuo in ediam servarunt, sed quoad phlegma duravit, quò consumptò, vel cibum receperunt, vel animam exspirarunt, nunc citiùs, nunc seriùs, pro quantitate humoris in cujuslibet corpore reperti. Conf. Carol. Emmanuel. Vizzanius Comm. in Text. IX. Ocelli Lucani de Universi Natura p. 151. Conringius Lib. de Calido Innato Cap. XVIII. Voglerus Comm. de reb. Nat. quarum in Script. fit mentio, ad cit. cap. Matth. & Pechlinus l. c.

IX.

Hanc morbidarum inediæ causam aliunde etiam illustrare licet. Quod si enim plantarum nonnullæ, cæpe, allium, telephium, sempervivum & aliæ, succositate suâ lentâ contentæ, sine novo nutrimento è terra attracto aliquamdiu nutriri possunt: si item glires & serpentes, si ursi, ob humorem viscosum intra corpus collectum, sine novo alimento hyeme conservantur: Vid. Arist. Lib. VIII. Histor. Animal. Cap. XIV, XV, XVI. & XVII. quid obstat, quò

quò minus id, quod illis perpetuò usu venit, quandoque etiam accidat hominibus, mulieribus imprimis, quippe naturâ frigidioribus & humidioribus? Conf. Hoffmannus Lib. I. de Gener. Homin. Cap. III. & IV.

X.

Si qua autem in corpore alioquin sano tam longi temporis inedia tolerata, vî quadã humanâ majori, qualis demum illa fuerit, tolerata est. Nam & diabolus, Deo permittente, hic non nihil posse, Schottus Phys. Curios. Lib. I. Cap. XXX. §. 2. & Lib. III. Cap. XIV. §. 3. exinde conjicit, quod sint quædam, quæ, ore gestata, famem sitimque sedent multo etiam tempore, v. c. herba Coca apud Peruvianos & Hippice apud Schytas: quæ omnia cum non ignoret cacodæmon, quin subinde occultissime possit applicare, dubium esse vix videtur.

XI.

Quò verò tandem Christi quadragesimale jejunium referemus? Sanè communis Theologorum opinio miraculis illud accenset; nec sana jejunantis constitutio aliud svadet. Quò minus enim Servatorem morbidæ complexionis fuisse arbitremur, facit argutum Jani Huardi in Scrut. Ingen. Cap: XVll. p. 548. ratiocinium, quod hisce proponit: *Facile omnino est, constitutionem Christi conjicere, supposito eo, quod hominem esse per omnia rectè temperatum, est summa atque integra perfectio, quæ naturaliter alicui competere potest. Ac cum Spiritus Sanct. ipse formarit eum & convenientibus organis instruxerit, certum est, nec causam materialem, ex qua eum formavit,*

nec

nec intemperiem aëris Nazarei resistere ei potuisse, aut facere, ut in operatione sua erraret, prout aliis agentibus naturalibus contingit. Quin potius fecit, quod voluit: quippe quem nec potentia, nec scientia, nec voluntas fabricandi perfectissimi atque ab omni prorsus defectu immunis hominis deficiebat. Conf. Dnum Lic. Fechtium Tom. I. Noct. Christianar: Exercit. X. de Forma Faciei Christ. §, XCIII. seqq. in quibus Christi sanitatem à Francisci Vavasoris, Jesuitæ Galli, objectionibus, ex victus ratione petitis, egregiè vindicavit.

XII.

Cum ergo Servator homo esset maximè sanus, adeoque sanguineus potius, quàm phlegmaticus, miraculosè utique sustentatus fuit, ut in quadraginta diebus famem non sentiret. Communis enim naturæ ordo hic est, ut, quò meliori valetudine quis gaudeat, eò magis quoque cibum appetere, & tantò ægrius ferre soleat inedia; cum nunquam non à calore nativo aliquid dissipetur, quod proinde sui restitutionem postulet. Miraculosa etiam Mosis & Eliæ jejunia fuerunt; hòc tantùm ab illo Christi jejuniò differentia: quòd virtus divina, quibus singuli sustentati, Christo quidem, vi unionis personalis, propria, illis ex singulari gratia à DEO fuerit concessa.

ECLOGA POSTERIOR

De

FRAGMENTIS

POST ALIQVOT MILLE SATU-
RATOS RESIDUIS.

I.

Συναγάγετε τὰ περισσεύοντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.
i. e. *Colligite superabundantia fragmenta, ne quid pereat.*
Ita Christus Discipulis, postquam insignem hominum multitudinem quinque panibus hordeaceis & duobus pisciculis ad satietatem usque cibasset. Johannes Cap. VI. v. 10. viros numero ferme quingentos mille in hoc convivio discubuisse, scribit; omittit verò mulieres, & qui infra vigesimum ætatis annum erant, pueros, quos Matthæus Cap. XIV. v. 21. addit. Judæis enim illi tantum inter viros numerantur, qui vigesimum annum excedunt. Num. I. v. 3. Conf. Cyrill. in h. l. in Caten. Græcor. Patr. in Joh. p. 175. Meritò Johannes signum hinc visum esse, v. 14. dicit: magnum enim atque miraculosum signum erat, quò tot mille homines, per inedia & iter pedestre famelici, omnes comedebant, omnes saturabantur ex apparatu, quem unus homo, imo puer, παιδάριον ἓν, *puerulus unus*, apportaverat, nec consumebatur tamen cibus, sed superabundabat ad duodecim cophinos, eosdemque plenos. Marc. VI. v. 43.

II. Co-

II.

Cophini propriè vasa sunt è viminibus plexa; fortè à κόπρω, quod resecaudæ prius sint virgæ, ex quibus plectuntur. Julius Pollux in Onomastico, Cophinum mensuram facit Boëticam, tam aridorum quàm liquidorum; & in liquidis quidem tres congios continere dicit, congi-um autem sex sextarios. Hinc amplitudo & capacitas cophini utcunqve colligi & ad arida etiam applicari potest. Etsi vero æquè capaces hîc impletos esse cophinos, textus manifeste haud exprimat, minimos tamen non fuisse adhibitos, exinde apparet, quod discipuli non ψυχία, de quibus Matth. XV. v. 27. & Luc. XVI. v. 21. sed κλάσματα iisdem excipere jubentur. ψυχία enim in diminutiva forma ex ψιξ, sunt absterfiunculæ & defricatiunculæ minutissimæ, adeoque particularum particulæ exiguæ, canibus projici solitæ; κλάσματα autem frustra sunt propemodum talia, qualia in mensis convivæ super orbis habent, vel qualia distribuuntur mendicantibus. Conf. B. Franzius Tract. de Interpret. Scr. S. p. 1090. seq. In altero miraculo, quod describitur Matth. XV. v. 37. & Marc. VIII. v. 8. mentio fit σφύρων, quæ vel virum capiebant. Nam & ista corbis, in qua Paulum discipuli noctu per murum demittebant, σφύρις vocatur, Act. IX. v. 25.

III.

Audacter modum hujus multiplicationis Pontificiorum nonnulli definiunt. Tostatus Quæst. CIII. in h. l. *Panes, inquit, multiplicati vel per creationem ex nihilo, vel per*

conversionem aëris, vel terræ in panes & pisces. Cornelius à Lapide ad Matth. XIV. p. 295. a. Christus, scribit, hac benedictione virtutem aliquam, non Physicam, sed moralem panibus indidit, scil. deputationem suam & ordinationem admirulosam multiplicationem, per quam manum, id est, virtutem suam divinam, quasi panibus apposuit, ut illico reipsa multiplicarentur, nimirum aërem vicinum, vel aliam materiam sensim inter distribuendum, sed insensibiliter & continuè, in panes convertendo: Deus enim nil de novo creat ex nihilo, sed ex materia initio mundi creata omnia producit & transformat. De his tamen nil Evangelistæ! Hilarius Pictav. Lib. III. de Trin. disputat: An multiplicatio facta sit in manibus Christi frangentis, vel discipulorum distribuentium, vel turbae sumentis? sed in omnibus tribus accidisse, verisimile putat & probat B. Chemnitius Harm. cap. LXXVI. p. 833. a.

IV.

Quamvis autem ex quinque panibus, quibus, unà cum duobus piscibus Servator istam hominum copiam cibavit, duodecim superfuerint cophini fragmentorum; minimè tamen adversus sanam Philosophiam hinc colligere licet: Totum aliquando minus fuisse suis partibus. Partes enim non cum alieno, sed cum tuo toto, cujus revera & formaliter partes sunt, comparari debent. At duodecim illi cophini fragmentorum non sunt partes panum in sese & naturaliter, ante divinam benedictionem, consideratorum, sed jam per benedictionem divinam miraculosè auctorum. Hos vero minores esse partibus, quis dixerit? Conf.

Nisani-

Nifanius Comm. in h. l. & B. Stahlius Part. II. Regg. Phil.
Disput. XI. Reg. III. §. 8. seqq.

V.

Cæterum, quod hic fecerat Servator, perpetuo facere, adeoq; porro suos miraculoso modo alere poterat, ut hinc necesse non fuerit fragmenta ista in futuros usus reservare; jubet tamen eadem colligere, ut frugalitatis admoneamur atq; parsimonix. Sicut enim miraculosa cibatione occurrit anxix nostræ diffidentix, quâ in rerum penuria tentamur; ita fragmentorum collectione securitati atq; negligentix, cui stomachus repletus solet esse obnoxius. Scilicet religiosè colligenda, non lurcando & prodigendo perdenda sunt, quæ Deus concessit, bona, ne multis esuriendi occasionem præbeamus, quorum necessitati nostra abundantia poteramus succurrere. Unde Paulus Ephes. IV. v. 28. vel manibus laborare jubet, ut *habeas*, quod impertiaris, cui opus fuerit. Si habendum; utiq; colligendum.

VI.

Inde nec divitiarum acquisitio & collectio per se peccaminosa erit dicenda. Ecquid enim divitiæ, nisi quicquid opum quis supra victus & amictus necessitatem possidet? hoc autem licitè acquiri, probatur (1) *ex oraculis Scripturæ Sacræ*, in quibus divitiæ benedictio & sunt & appellantur, Deut. XXVIII. per tot. Proverb. XX. vers. 22. Eccles. V. v. 18. Corona Sapientix Prov. XIV. vers. 24. Eccles. VII. v. 12. debitum Parentum II. Cor. XII. v. 14. merces pietatis, Luc.

VI. v. 38. (2) *Ex sacris Exemplis Abrahami, Isaaci, Jacobi, Salomonis & aliorum, qui rerum omnium abundantia affluerunt.* (3.) *ex rationibus deductis ex conditione (a) imperatae prudentiae Oeconomicae, Prov. XIII. v. 23. Cap. XIV. v. 3. & 4. (β) diligentiae Oeconomicae, Proverb. XXVII. v. 23. Ephes. IV. v. 28. cujus fructus divitiarum, Prov. XX. v. 4. Cap. XIV. v. 4. Sir. XX. v. 50 (γ) con esse mercaturae Lev. XIX. v. 35. 36. Prov. XVI. v. 11. cujus Exemplum in Abrahamo Genes. XXIII. v. 16. Josepho Cap. XLVII. v. 16. Jeremia XXXII. v. 9. Lydia Act. XVI. v. 14. Conf. B. Danhauer. Tom. III. Theol. Conscientiar. p. 859.*

VII.

Nec obstat Servatoris illud Matth. VI. v. 19. *μη θησαυρίζετε υμῖν θησαυρὸς ἐπὶ τῆς γῆς. Ne thesaurizate vobis thesauros in terra.* Id enim minime ἀπλῶς s. absolutè accipiendum, sed συγκριτικῶς s. comparatè: non primò vel potissimum colligendos esse thesauros terrenos, sed cœlestes, vers. 33. & si metus forte sit, ne, dum hos acquiris, illorum jacuram facias, potius hos, terrenos nimirum, negligendos ac vitandos. Tales vero sententias Scriptura solet efferre negativè. Sic Luc. XIV. v. 12. *Quum feceris prandium aut cœnam, μη φώνεις, ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne quando & ipsi te vicissim vocent, ac retribuatur tibi gratia: Sed cum facis epulum, voca mendicos, &c.* Ubi particula *μη*, non tam negativè ponitur, quam comparativè, hoc sensu: *Potius pauperes quam divites ad prandium voca, scil. ut beatus sis & fidem tuam beneficentia declares, sicut v. 14. subjungitur. Nunquam enim prohibet*

Christus

Christus mutux inter divites amicitix testimonia. Conf. Glasius Lib. III. Phil. Sacr. Tract. V. Can. XXII. p. 488. qui plura in hanc rem adducit Exempla.

VIII.

Proinde ridiculi inter Ethnicos olim fuere *Stoici*, qui divitias per *αὐτάρκειαν* definiunt, sorte & sorde sua Diogenæa contentum divitem autumabant, etiamsi omnibus fortunæ bonis destitutus ac ejectus, vulgi judicio pauper haberetur. Sic Seneca ex ipsorum mente Epist. CXIX. ad Lucil: *An parum habet, qui tantum non alget, non esurit, non sitit? Plus Jupiter non habet.* Cicero in Parad. ult. prolixius adduxit ipsorum opinionem, sed quam B. Danhauerus in Anal. sua p. 60. seqq. doctè examinatam rejecit. Enim vero *αὐτάρκεια* quidem est virtus circa divitias, sed in ea formaliter divitiarum natura non consistit.

IX.

Abfurdi etiam inter Christianos fuere *Apostolici*, quos & *Apotacticos* vocabant, quasi, qui huic mundo prorsus renunciassent; amara procul dubio stirpis Encratitarum sive Tatianorum fructificatio. Conf. Danæus Comm. in August. Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum Cap. XL. Illi res proprias possidentes in suam communionem non receperunt. Quibus Augustinus Lib. I. de Moribus Eccles. Cathol. cap. ult. Tom. I. Oper. ita respondit: *Quid calumniamini, quod fideles ac jam baptismate renovati — agros ac domos pecuniamque ullam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus, & deinde: Nolite jam dicere, Catechumenis licere habere pecuniam*

curiam, fidelibus autem non licere. Nam & multi sunt, qui utuntur,
tanquam non utentes.

X.

Absurdi itidem Pelagiani, quorum inter dogmata &
hoc erat: Divitibus baptizatis, nisi omnibus abrenuntient, nil
prodesse, quæ bona fecerint, cum non possint ingredi in regnum cæ-
lorum. teste Augustino Tom. II. Op. Epist. CVI. ad Paulin.
Plura in hanc rem testimonia vide ap. Vossum in Histor.
Pelag. Lib. V. Part. II. Thes. II. Sed eversa jam tum illorum
sententia est, partim ab Augustino Epist. LXXXIX. ad Hil-
lar. partim à Prospero Epist. ad Demetriad. eò, quod Apo-
stolus inter ea, quæ divitibus I. Tim. VI. v. 17. 18. 19. præci-
pienda sunt, non reponat illud, ut omnia elargiantur &
abjiciant, adeoque opulentis etiam esse concedat in hoc
seculo.

XI.

Bene etiam Augustinus Epist. cit. *Evaserunt*, inquit,
istorum disputationes Patres nostri Abraham, Isaac & Jacob, qui tan-
to ante ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non pau-
cas divitias, sicut fidelissima Scriptura testatur: multos tamen ven-
turos ab oriente & occidente, & non supra ipsos, vel extra ipsos,
sed cum ipsis recubituros in regno cælorum, ille ipse, qui propter nos
factus est pauper, cum verè dives esset, veracissima promissione
prædixit. Matth. 9. Et quamvis superbus dives, qui induebatur
purpura & Byssò, & epulabatur quotidie splendide, mortuus apud
inferos torqueretur: tamen si pauperis ulcerosi, qui ante januam ejus
contemptus jacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam.
Et si

Et si pauperi illi meritum esset inopia, non iustitia, non utique ab Angelis in Abrahamæ gremium, qui dives fuerat, tolleretur. Sed ut nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per se ipsam divinitus honoratam, nec in illo divitias fuisse damnatas; sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse: sic suscepit impium divitem cruciatus ignis, ut tamen pium pauperem susciperet sinus divitis.

XII.

Ita pulchrè non minus quam verè Augustinus! Nec quisquam hic turbari debet verbo *mereri*, quò utitur. Utitur enim eòdem, more Latinorum Patrum, non in propria significatione, sed impropria, quâ idem est, quod *consequi* & *adipisci*, quocunqve etiam id fiat modo. Cum enim antiquitus milites proprie dicerentur *merere* vel *mereri* stipendia, atqve adeo *mereri* esset præstare aliquid, pro quo, ex se considerato, stipendium vel retributio iure posset exigi, succedentibus temporibus, deficiente paulatim latini sermonis puritate, τ ò *merere* vel *mereri* in genere accipi cœpit pro eo, quod est *consequi*, sive ex Jure quid, tanquam debitum, obtineatur, sive ex liberalitate, tanquam donum, sive quocunqve alio modo, cum apud Scriptores Ecclesiasticos, tum apud Exoticos. Conf. omnino Domin. D. Quenstedius System. Theol. Part. IV. p. 340. b. nec non B. Carpz. Ilagog. in Libb. Symb. p. 290.

XIII.

Rejiciendi quoque sunt *Socinistæ*, quos & *Neo-Photinianos* vocant, statuentes, quod omne, & sic etiam moderatissimum ipsarum opum studium sit avaritia; quam

definiunt: cupiditatē, quā plus acquiritur aut servatur, quā quantum propriè opus habent homines ad sustentationem. Inde opinantur, nullo modo licere Christiano opes colligere. Ita mentem illorum nobis exponit Sectæ illius minister, Christoph. Osterodus Instit. German. Cap. XXXI. p. 229. 230. & seqq. Cui B. Feurbornius in Anti-Osterodo Disp. XXIX. Thes. II. imprimis istud Pauli ex II. Cor. XII. vers. 14. opponit: *ἐκ θεοῦ τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θεσαυρίζεν, ἀλλ' οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις.* Non debent nati parentibus thesaurizare sed parentes natis. Si parentes debent liberis suis thesaurizare, non utique quodlibet studium divitiarum statim erit avaritia. Confer. omnino Dominus D. Spenerus. in h. l.

XIV.

Quod si avaritiæ damnandi sunt omnes, qui plura acquirunt bona, quā ad victum & amicū necessaria sunt, prout Osterodus contendit; omnes illi avarorum Catalogo inserendi erunt, ac proinde damnandi, qui domos proprias, agros, villas &c. acquirunt. Annon vero id ἀπορον? Conf. B. Calovii Socinismum Profligatum, qui inter Scripta ejus Anti-Sociniana, ante hos quatuor annos, uno volumine edita, Part. II. occurrit, pag. 101. a, ubi sic inter alia concludit: *Quum Sociniani nequeant suam fictitiam definitionem avaritiæ è Scripturis stabilire, non est quod pro avaris habeamus, quos illi avaritiæ damnant, ne jugum aliquod conscientiis injiciamus, aut peccatum dicamus, quod nulla lege prohibitum est.* Nimirum ex prava animi qualitate & vitiosa cordis cupiditate definienda est avaritia, ut colligitur ex Job. XXXI. v. 14. Ps. LXII. vers. 11.

v.11. Eph. V. v.5. nec possidere divitias, sed possideri à divitiis avarum reddit, ut B. Gerhardus judicat in Synopsi Neo-Photiniani §. 16. Disp. Theol. Part. II. p. 1020.

XV.

A Socinistis parum absunt *Pontificii*, qui in abdicatione bonorum hujus vitæ, Statûs aliquam perfectionem & sanctitatem collocant. Vidd. Bellarm. Lib. II. de Monach. Cap. XX. Cornel. à Lapide ad Prov. p. 220. 245. & ad Act. p. 115. seq. At quæ pro illa sua perfectione è N. quidem T. afferunt, vel particularia fuerunt; ut pote, quod Apostoli, ad ambulatoriam provinciam vocati, omnia, quæ regni Christi promotionem impedire poterant, reliquerint, Matth. XIX. v. 3. vel de necessitate & casu persecutionis, de quæ affectu renuntiandi, intelligenda sunt, ut Luc. XIV. v. 26. judice consummatissimo Danhauero l. c. Conf. B. Scherzeri Anti-Bellarmin. p. 415. seqq.

XVI.

Denique errant adhuc hodie *Fanatici*, qui impugnant dominiorum distinctionem & urgent communionem bonorum, quorum proprietatem præceptum septimum in Nov. Test. repetitum, Rom. XIII. v. 9. stabilit. Cum enim Deus furtum fieri prohibeat, sequitur, non velle ipsum omnia nobis esse communia, sed potius singulis sua legitime acquisita sarta esse & intacta. Furtum enim rei alienæ contrectatio est; ubi ergo res non est aliena, ibi nec furtum esse potest. Retinuit sanè suam rete Petrus Joh. XXI. v. 3. *tà idia* Johannes, Cap. XIX. v. 26. Paulus *idia* acqui-

acqvilivit Actor. XX. v. 34. Distingvendum tamen inter κλήσιν καὶ χεῖσιν bonorum; licet enim possessio cuivis acqvi-
renti sit propria, bona tamen ipsius aliis esse debent com-
municativa. Prov. V. v. 16. Vid. B. Kromayer. Scrut. Relig.
Disp. VI. Part. II. Thes. 23.

XVII.

Coronidis loco modus colligendarum opum defini-
tur. Acqvirendæ enim sunt (1) per *licita media*; Jerem. XVII.
v. 11. (2) *bono fine*; non ex abominabili erga Deum diffi-
dencia, aut insatiabili habendi cupiditate, sed ut habeas
quod impertiaris, cui opus fuerit. Ephes. IV. v. 28. Conf.
Danhauer. Lact. Catech. Tom. II. p. 333. seq. (3) *ex proprio*
non alieno; Psalm. XXXVII. v. 21. Hisce regulis deficienti-
bus, præstat opes negligere, quàm cum præsentissimo
animæ periculo colligere. Οἱ γὰρ βεβλόμενοι πλεῖστὴν ἐμπώπησιν
εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα, καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἀνοήτες καὶ βλαβε-
ροῦς, αἰῶνες βίησιν τὰς ἀνθρώπους εἰς ὄλεθρον ἢ ἀπώλειαν. Ρίζα γὰρ πάν-
των τῶν κακῶν ἔστιν ἡ φιλαργυρία. Scribit Apostolus
I. Tim. VI. v. 9. 10.

